scilicet per officium predicationis introducam illum in domum
sinagoge. que me genuit in domino. et fiat unum ouile.
et unus pastor. Adiuro uos filie ierusalem. per capreas ceruosque
camporum. ne suscitetis. neque euigilare faciatis dilectam donec
ipsa uelit. Ideo hoc uerbum repetit sponsus: ne minorem
eum ecclesie de gentibus congregate quam de iudeis sollicitudi
nem habere putares. Sed ut ostenderet quod sit una sponsa. una dilectis
sima. Que est ista que ascendit per desertum? Miratur sinago
ga. quomodo gentilis populus nullo circumcisionis misterio
emundatur. nulla prophetarum ammonitione eruditus. subi
to ab infimis uoluptatibus per desertum gentilitatis et idolatrie
ad alta uirtutum culmina. et amplexus sponsi ascendit.
Sicut uirgula fumi ex aromatibus. igne diuini amoris suc
censa. per iter omnium uirtutum. ad celestia tendit. Myr
re et thuris. et uniuersi pulueris pigmentarii. Ex mortificati
one carnalium uoluptatum. et puritate orationum. et omnium
odore uirtutum. En lectulum salomonis. LX. fortes am
biunt ex fortissimis israel. Lectulum salomonis est. conuer
satio quieta sanctorum. Sexaginta fortes. predicatores sunt
sancti. fortissimi bellatores. qui mundo corde digni sunt
deum uidere. Omnes tenentes gladios. et ad bella doctissimi.
Tenent gladium spiritus. quod est uerbum dei: quicquid enim ore
docent. opere complent. Uniuscuiusque ensis super femur
suum: propter amores nocturnos. Nocturni amores sunt
insidie temptationis occulte. Ensis autem est custodia ui
gilans. carnis concupiscentias ~~carnis~~ premens. ne uerbum

License: cc-by-nc – Bern, Burgerbibliothek, Cod. A 94.2, 10r – Aelredus Rievallensis, Compendium speculi caritatis; Alcuinus, Compendium in cantica canticorum (https://fragmentarium.ms/view/page/F-it7i/5150/49298)